

nisi cum ebrium projicit in lutum. Quare sicut pisces turbant aquas, ut anguillas alioqui lubricas et captu difficiles, queant capere, Pierio teste, lib. XXIX. hierogl. sic diabolus ad ebrietatem homines pertrahit, ut in alia scelera precipitet.

VII. Per ignorantiam et tedium discendi: quales erant filii Heli, de quibus, I. Reg. II. *Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum, nec officium sacerdotum.* Recte vocantur filii Belial, id est, ex-leges, quia qui legem nescit, eam non curat nec servat. Quales etiam multi catholici, qui nesciunt requisita ad salutem ex negligentia discendi: cum Judæi, Saraceni et hæretici longe melius sciant quæ ad ipsorum sectas pertinent. Cur multi nesciunt quando sit jejunium, idque non observant? Quia piget eos adire concionem, postquam proclamantur jejunia. Cur multi non respiscunt ab erroribus suis? Quia piget eos inquire in libris, vel a confessario, rectene an male faciant. Cur multi non confitentur peccata, quæ in usu matrimonii committunt? Quia nolunt intelligere ac discere, an ea sint peccata.

Denique, Deum rogemus, ut sicut sol nebulas dissipat et aufert, lucemque reddit claram, sic et ipse tollere dignetur mentis nostræ caliginem. Sed et nos laboremus, ut ne inducamus oculo nostro ejusmodi nubem: fugiamus ergo vitia prædicta. Certe infantes non patiuntur sibi obligari oculos: ne simus nos stultiores. Quod si et peccata rationem non obscurarent et ad alia non traherent, satis per se mala ferent: atqui præterea pariunt alia scelera ideoque merito dicuntur capitalia. Imitemur S. Martinum, qui nequaquam passus est induci oculis suis glaucoma a cacodæmone: sed cum is in forma Christi regia ei apparet, priusquam crederet asserenti se Christum esse, rem sedulo consideravit, et fraudem agnovit, etc.

CONCIO IV.

QUINAM ILLI, QUI LUCERNAM SUB MODIO PONUNT.

- I. Qui rationem suam cæcant. — II. Qui fidem suam abscondunt. — III. Qui scientia et potestate sua non utuntur. — IV. Qui bene docent, sed male vivunt. — V. Qui opera sua propalanda occultant. — VI. Qui tepidi nimis.

THEMA.

Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum. Lucae XI.

Maximæ utilitatis et irrefragabilis veritatis esse hæc sententia debet, quæ toties a Christo repeti-

tur. Eam enim primo, protulit de apostolis in sermone habito in monte, Matth. V. *Vos estis lux mundi, inquit, non potest civitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum, etc.* iterum, Luc. VIII. post parabolam seminis verbi Dei, jacti in bonam et malam terram; subdit enim mox: *Nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subter lectum ponit: sed supra candelabrum ponit, ut intrantes vident lumen:* denique, Luc. XI. in hodierno evangelio, post ejectionem dæmonis muti, inquit: *Nemo accendit lucernam, etc.* Sed quomodo nemo hoc facit cum plurimi reperiantur, qui hoc faciant? Nimirum tantæ insanie res est, accendere lucernam et ponere sub modio, ut Dominus hac de re ita loqui voluerit, quasi nec fiat nec fieri queat. Itaque nemo prudens, nemo nisi stultus lucernam in abscondito ponit. Hujusmodi tamen stultorum non exiguus est numerus ut videbimus.

I. Hoc faciunt, qui quæ cognoscunt æqua et recta, intueri nolunt, nec secundum notitiam suam operari; sed ex odio, invidia aut cupiditate rationem suam obnubunt modo ignorantie affectatæ. Faciebant hoc Judæi, quando manifestum videntes miraculum expulsi a Christo dæmonis muti, ex odio et invidia adscribebant eam virtutem principi dæmoniorum Beelzebub. Hinc sumpta occasione, subiecit Dominus, ut ne rationis et scientiæ suæ lumen sub ejusmodi modio ponerent, et agnitæ veritati repugnarent. Tales etiam pessimi illi et obsceni seniores, de quibus Danielis, cap. XIII. dicitur: *Declinaverunt oculos suos, ut non viderent cælum.* Typus illorum fuit Herodes, qui Joannem reprehensorem et veridicum suum misit in carcerem; ne per ejus objugationem retraheretur a suo scelere, Matth. XIV. Sic enim qui male agere statuunt rationem et synderesim in carcerem ponunt, ne illis oblatret, velut adultero canem suum. Non frustra dedit nobis Deus lumen rationis, ingenii, fidei, scientiæ, etc. sed propterea ut id quasi lucernam gressibus nostris præferamus, omniaque consilia et opera nostra, antequam exequamur, ad id examinemus.

II. Quid fidem suam, cum manifestanda est et supra candelabrum ponenda, timoris modio contegunt, et factis negant, velut qui inter hæreticos vetitis diebus carnes comedunt, ne catholici deprehendantur eoque nomine irrisionem vel despectum alium patiantur. Universim, quicumque fidem suam non profitentur, cum id Dei gloria aut salus proximi postulat: *Qui crediderit non festinet,* inquit Isaias, cap. XXVIII. hoc est, non trepidet, non fugiat fidei suæ confessionem, seu,

ut Septuaginta et apostolus ad Rom. X. vertunt: *Non confundetur.* Cum enim et mente et corpore constemus, æquum est ut Dei cultum et religionem non solum in mentis recessu conservemus, sed etiam externo opere et ore insinuemus, juxta id Psal. CII. *Benedic anima mea Domino et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus.* Turpe est apud ipsos homines et invidiosum; respectu aliquo prohiberi quempiam, quominus demonstret exterius se illius amicum esse aut filium, cujus revera est. Peccaverat hac in re Jacobus, cognomento Interiscus, qui cum parentibus maxime christianis natus esset, uxoremque non minus in religione ferventem haberet, in aula Isdigerdis regis Persarum versatus inter optimates amore regis deflexit ad idolorum cultum. Quo intellecto scripsit illi mater et conjux in hanc sententiam: *Obediendo mortali, deseruisti eum, qui vita est: placendo futuræ cito putredini deseruisti sempiternum odorem: veritatem in mendacium commutasti, et mortali obtemperans vivorum ac mortuorum judicem reliquisti. Noveris igitur nos amodo a te futuras extraneas, nec tecum de cætero aliquatenus moraturas.* Quibus perlectis litteris compunctus et flens dicebat: *Si mater mea et uxor a me abalienatæ sunt, quanto magis Deus meus?* Cum ergo ob hunc errorem plurimum se affligeret, proditus est regi de religione christiana, cui ut renuntiaret, cum diris urgeretur suppliciis, minime adduci potuit.

Itaque lapsum suum præclaro martyrio, quo membris omnibus deartuatus, demum capite plexus est, strenue compensavit, ut in vita, apud Sur. tom. VI. Sub modio etiam reposuerat fidem suam Victorinus rhetor, apud Aug. lib. VIII. confess. cap. II. cum respectu territus amicorum, manifestare vereretur, se amplius non esse pagannum, ob idque abstineret a templo Christianorum. Hic in aurem dicens Simpliciano sibi amicissimo: *Noveris me esse Christianum,* responsum accepit: *Non credam nec te putabo inter Christianos, nisi in ecclesia Christi te videro.* Ergo ne aliquando negaretur a Christo coram angelis, si Christum non confiteretur, calcato omni humano metu subito ait eidem: *Eamus in ecclesiam, Christianus volo fieri.* Itaque in ecclesia de loco eminentiori coram omnibus fidem suam professus est.

III. Qui scientiam habent et potestatem arguendi aliorum vitia, instruendi et corrigendi, id tamen non faciunt victi, vel timore, vel amore, cupiditate, vel ignavia; his enim affectibus veluti modis tegunt lucernam suam. Non absque causa subjunxit hanc sententiam Dominus post parabolam de semine verbi Dei; nam S. Augustinus, de quæst. evangelicæ ait, docere per hoc vo-

luisse Christum fiduciam prædicandi, ne quis timore carnali incommodorum, scientiæ lucem abscondat. Alii namque abscondunt eam sub modio temporalium commodorum, ne eos offendant, quorum mensa aut favore vivunt; similes cani Perusino, apud Maiol. tom. I. canic. coll. VII. qui de nocte fures allatrabat, dominæ tamen adulteræ amasios absque latratu admittebat.

Alii sub modio timoris vel amicitie, quo defectu laboravit aliquando Isaias, propter quem ingemuit postea dicens, cap. VI. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutis labiis ego sum,* quando videlicet omisit Oziam regem inconcessitantem reprehendere, cum satis commode posset, ob prosapiam regiam; siquidem Amos pater ejus frater fuit Amasæ regis Juda.

Itaque pollutum labiis se dicit, quod non locutus sit, quæ debuit. Alii sub lecto ignavia et pigritiæ, uti illi clerici, qui post absoluta studia sua vacant tantum sibi et propriæ quieti ac commoditati, quæque in studiis hauserunt, aliis non communicant. Similiter parentes, qui quæ in concionibus didicerunt, liberos suos non docent, etc. Quibus omnibus per Isaiam, cap. LVI. ait Deus: *Canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes et videntes somnia, etc.* Atque hæc altera causa est, ob quam sententiam prædictam de lucerna subjunxit Christus parabole de verbo Dei ad discipulos suos: *Ostendit enim Christus, per eos aliquando etiam cæteris idem mysterium revelandum,* ait ibi S. Beda.

Hoc ergo et nobis faciendum, ut qui didicerimus bona, aliis communicemus: *Non abscondes sapientiam tuam in decore suo,* ait Ecclesiasticus, cap. IV. Item dicendum de potestate publica præditis, qui vel timore offensionis potentum aut amore propinquorum et amicorum, vel aureo munerum splendore corrupti justitiam opprimunt, aut veritatem supprimunt. Præclarum enim justitiæ et veritatis lumen sub modio reponunt. Narrat Plutarchus, in vita Demosthenis, eum aliquando corruptum fuisse ab Harpalo. Qui postridie collo lana et fasciis diligenter obligato in concionem progressus, cum excitaretur ad dicendum, nutu ostendit præclusam sibi vocem esse. Ibi homines faceti cavillantes dixerunt: *Non angina, sed argentangina oratorem nocte correptum.* Ita multi hodie laborant argentangina, quos exilio multare et curare oporteret, uti multatus fuit Demosthenes, inquit pater Cornelius a Lapide, in Isai. cap. LVI.

IV. Qui bene quidem docent, male tamen vivunt, sicque exemplo malo lumen doctrinæ suæ obscurant. Tunc enim ratiocinantur secum homi-

nes, docentem mentiri et sibi imponere velle; præsumunt enim quemque de seipso sollicitum id amplecti quod bonum: fugere autem quod ex animo reipsaque iudicat malum. Atque ita tales una manu ædificant, altera idem destruunt. Ob hanc causam sedulo monuit apostolus discipulos suos Timotheum et Titum, ut facerent, quæ docerent, ne contemnerentur. Ad illum enim, I. Tim. cap. IV. ait: *Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate*: ad hunc vero, ad Tit. II. *Argue cum imperio. Nemo te contemnat*. Itaque qui non vivit sicut docet, cum imperio arguere nequit. Unde facile contemnitur. Nam sicut parvi æstimatur medicus, qui vult curare alios, cum sit ipse debilis: ita quoque turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. Lacedæmon civis quidam, nomine Demosthenes, concilium excogitavit reipubl. salutare, ut Plutarchus in politicis scribit, sed cum populus sciret illum esse hominem improbum, vetuerunt ephori ne ipse id proferret, probumque elegerunt, qui hoc faceret; existimabant enim ea quæ alias recte dicerentur, malis moribus inquinari.

V. Qui opera sua, cum ad ædificationem aliorum palam facienda sunt, occultant, præ timore vel erubescencia.

Magno quidem studio Christus opera sua bona occultare studuit, cum nimirum præcepit iis, quos curarat a languoribus, ut nemini id dicerent. Verum cum opus erat ad Dei gloriam et hominum ædificationem, ea publicari voluit, vel etiam ipse publicavit. Veluti cum obsesso illi in regione Gerasenorum, a quo legionem dæmonum expulerat, dixit: *Vade in domum tuam ad tuos et annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit et misertus sit tui*, Marci V. quia nimirum regio illa Deum ignorabat, dæmonum cultibus irretita. Ita cum miraculum sanatae Hæmorrhœissæ manifestari voluit ad confirmandum in fide Jairum, cujus filiam resuscitatum ibat, eodem Marci capite. Vicissim cum miraculis suis aliquos offendendos vidit, celari ea voluit; ut ne Pharisæorum sibi invidiam conflaret, etc. Hinc ergo cum Matth. V. dixisset Dominus: *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt, mox subiecit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Quæ verba imprimis ad apostolos direxit, quibus etiam ibidem dixerat: *Vos estis lux mundi: non potest civitas abscondi supra montem posita, docens eos maxime, qui in dignitatem culmine et qui in statu eccle-*

siastico positi sunt, publica pietatis exempla edere debere. Illi enim non habent quod timere possint, ne a vento vanæ gloriæ abripiantur, vel hominum iudicio hypocritæ censeantur (utpote excelsi nimis, et contemptores hujusmodi rumusculorum.) Hi vero ratione status et officii sui ad pietatis studium obligantur. Ut ergo aurigam aurigari, nautam navigare, militem militare decet: ita decent clericos opera pietatis. Certe de regularibus scribit Concilium Tridentinum, sess. XV. c. XIX. *Nou detur licentia cuiquam regulari occulte ferendi habitum suæ religionis*. Idem suo modo observandum omnibus Christianis, ut ne occultent habitum hominis christiani, v. g. ne erubescant orare, cum campanæ pulsus monet, cruce frontem pingere, rosarium gestare, detecto capite s. eucharistiam in publico comitari, etc.

VI. Qui sibi circulum pietatis nimis arctum describunt nec putant se debere in dies proficere. Lucent itaque isti sed in angusto et quasi sub modio, intra eosdem semper terminos. Tales autem sunt, qui nihil ultra præceptum vel receptam sibi consuetudinem facere volunt; missam nunquam, nisi præceptum urgeat, audiunt; non nisi in paschate confitentur et communicant; amicos tantum diligunt et remunerant, a quibus vicissim diliguntur ac remunerantur; item qui sibi tantum vivunt, de proximo nihil curant; denique, quibus tenuis et angusta nimis est pietas, ut vix agnosci queant e suis moribus, atrive an albi, calidi an frigidi sint. Reperiuntur spongiæ, quibus adeo tenues sunt sensuum notæ ut multi dubitent animalia sint necne. Ita is quorundam cultus est, is sermo, ea vita, ut merito dubitare liceat, sintne catholici an hæretici, Christiani an athei. Quibus dicitur, Apoc. III. *Utinam calidus esses aut frigidus; sed, quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Tepidi enim sunt, qui arctioris vitæ studium refugiunt, sed in suo vivendi modo hærent satisque fore existimant, si in gravia scelera non labantur, venialia omnia devorant; unde in majori damnationis periculo sunt, dum sibi temere præfidunt, quam qui in gravia scelera lapsi sunt. Hi enim lapsus suos facile agnoscunt et emendant, non illi. Unde Cassianus, collat. IV. cap. XIX. ait: *Frequenter vidimus de frigidis atque carnalibus, id est, de sæcularibus, ac paganis ad spiritualem venire fervorem: de tepidis atque animalibus omnino non vidimus*. Vidimus non neminem esse, sed quam plures, qui lucernam suam sub modio reponunt, quos qui imitari volet, sciat lucernam suam aliquando extinguendam et reponendam in centro terræ sub modio tenebrarum exteriorum. Contra qui vult in cælo collocari, supra candelabrum

curet nunc lucernam suam ponere in conspicuo, ut omnes, qui ingrediuntur, lumen ejus videant.

CONCIO V.

QUAS OB CAUSAS SANCTORUM FESTA CELEBREMUS.

I. Ut Deus in sanctis colatur. — II. Ut sancti honorentur. — III. Ut sanctis gratulemur. — IV. Ut sanctos imitemur. — V. Ut sanctos invocemus.

THEMA.

Nemo lucernam accendit et in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum. Luc. XI.

Per lucernas recte intelligi etiam viros sanctos, docet Dominus, Joan. V. cum de Joanne Baptista ait: *Ille est ardens et lucens*: et universim apostolus ad Philipp. II. cum ait: *Sanctos lucere in medio nationis prævæ sicut luminaria in mundo*. Congruenter igitur huic sensui s. mater Ecclesia sanctos insigniores et alios S. Martinum nequaquam sub modio ponit, sed supra candelabrum, dum eorum festa solemniter festivitate peragenda constituit; ut ita omnes, qui in Ecclesia degunt, lumen et splendorem sanctorum illorum videant.

Sed contraria incedunt via nostri hæretici: qui pleraque festa exterminarunt, uti et hoc S. Martini (licet anserem Martiniacum sedulo retinuerit) adeoque sanctorum lucernas sub modium condiderunt; lucifugæ nimirum noctuæ. Contra quos ostendere aggrediar, recte et merito celebrari in Ecclesia sanctorum festivitates.

I. Ut Deum in sanctis honoremus, qui tantam illis gratiam et gloriam contulit, ut tam feliciter consummarent cursum suum. Insigniora Dei beneficia solebant veteri in lege festivis diebus celebrari, ut ita Deo gratiæ pro illis agerentur. Pro beneficio creationis recolendo institutum est sabbatum, Gen. II. pro beneficio conversationis et gubernationis rerum omnium, festum neomeniæ, Num. XXVIII. pro beneficii liberationis a Pharaone et Ægypto festum paschatis, Exod. XII. pro beneficio protectionis et deductionis per desertum festum tabernaculorum, etc. Atqui eximium et splendidissimum Dei beneficium est, alicujus sancti felix consummatio et victoria parta; siquidem Ecclesia per hanc exaltatur, ad virtutem incitatur, in spe roboratur et intercessorem novum acquirit. Equum igitur est ut saltem insigniorum sanctorum memoriæ solemniter celebrentur; siquidem hac ratione Deus in sanctis suis laudatur et honoratur; sicut cum munus a principe tibi oblatum exocularis et pretiosa includi capsula curas, idque aliis ostentas, etc. haud

dubie enim hoc pacto honoratur ipse princeps. Honor, qui exhibetur servo ratione domini sui, exhibetur principaliter ipsi domino: ablato enim illo respectu, servus desinet honorari, saltem eo modo, quo prius honorabatur. Annon Dominus ipsemet ait: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*? Si ergo Domino facimus, quod vel minimo ejus servo facimus; quanto magis sibi factum reputabit, quod maximis ejus servis, imo amicis facimus? Placuit Abraham Deo per hoc, quod angelis ejus hospitium et convivium præbuerit ac pedes laverit, ut testatur apostolus ad Hebr. XIII. cur non placet eidem, si cæteros ejus sanctos etiam religiose colamus?

II. Ut sanctos etiam ipsos debito honore afficiamus. Hoc primo, requirunt eorum merita et dignitas. Fuerunt enim viva Dei instrumenta, et divinæ gratiæ cooperantes: plurima nobis beneficia contulerunt, et meritis suis ad supremos cæli honores evecti Deique amici facti sunt. Deinde, idem requirit a nobis Deus, qui sicut ipse honorificat sanctos in terra multis modis, miraculis imprimis: sic etiam requirit a nobis ut eosdem honoremus. Quemadmodum enim Pharaon non fuit contentus per seipsum honorare Josephum, ornare manum ejus annulo, vestire eum stola byssina, et circumdare torque collum ejus: sed præterea voluit eum ad omnibus etiam subditis suis honorari. Et qua ratione. Fecit eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone ut omnes coram eo genuflecterent, et præpositum esse scirent universa terræ Ægypti, Gen. XLI. ad eundem modum Deus non contentus est, si ipse honoret sanctos in terra, non sufficit ei, quod decorarit eos annulo, id est, virtute miraculorum, veste byssina, id est, honorifica asservatione reliquiarum eorum, torque circa collum, id est, magno numero discipulorum, qui ipsorum vitam æmulantur eosque velut torques ornant; sed voluit præterea eosdem a nobis honorari. Et ideo jubet eos in curru suo secundo circumduci in orbe, id est, cultu dulciæ honorari per orbem, die festo in honorem eorum instituto, ut sic eos principes esse faciat in cælo, eorumque gloria omnibus nuntietur, undique propagetur et dilatetur. Quærebat rex Assuerus ex Amane, Esther VI. *Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat*? Respondit Aman: *Homo, quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis et imponi super equum qui de sellaregis est, et accipere regium diadema super suum caput, et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, et per plateam civitatis incedens clamet et dicat: Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare*. Decet ergo similiter, ut sanctos

festis die quasi equo regio exaltatos toti orbi conspicuos ostendamus.

III. Ut sanctis hac cæremonia gratulemur de victoria, parta felicitate ac gloria: si enim dies annus coronationis regiæ a subditis observatur et festiuis gaudiis peragitur, quanto magis letari nos convenit in diebus annuis coronationis sanctorum, postquam æternum regnabunt? Celebrant magnates dies suos natalitios conviviis et gaudiis, quemadmodum Pharaon et Herodes: dies, inquam, quibus ingressi sunt ad vitam mortalem et ærumnosam: quanto potius celebramus dies illos natalitios, quibus ad æternam vitam sancti renati sunt. Sane Thraces luctuosa habuere puerperia, funera vere cum lætitia celebrarunt. Circa natum enim circumsedentes plorabant, recensentes ei quæ deberet perpeti calamitates; mortuos vero cum lusu et joco sepeliebant referentes, quod malis liberati sint. Refert Herodotus, in Terpsich. Non male isti fecissent, si eorum mortui ad vitam perrexissent. Quod cum de nostris sanctis certo sciamus, hinc merito eorum dies, quibus ad felicioram vitam migrarunt, annua solemnitate peragimus. Sed quid ad nos, dicit aliquis, sanctorum victoria et felicitas? Quid inquis? Annon illi fratres nostri sunt? Et si membra unius corporis congaudent sibi invicem: cur non gaudeat Ecclesia militans ob victoriam sororis suæ, Ecclesiæ triumphantis? Cum oculi quid jucundum vident, nonne omnia membra exultant? Cum ergo sancti nostri modo Deum aspiciant, cur non universa lætetur Ecclesia? Deinde, nonne etiam ipsi sancti agunt festum et congaudent super uno peccatore in terris penitentiam agente? Cur ergo et nos non congaudeamus illis?

IV. Ut sic tanto efficacius eos nobis imitandos proponamus eorumque vestigiis firmiter insistamus. Et de hoc aptissime intelligi potest quod de lucerna non sub modio sed super candelabrum ponenda Dominus dicit: *Numquid venit lucerna, ait Marci cap. IV. ut sub modio ponatur aut sub lecto? Nonne ut supra candelabrum ponatur?* Has igitur lucernas nequaquam sub modio aut lecto obscuritatis et ignorantiae ponere oportet, sed super candelabrum, hoc est, omnibus hominibus eos conspicuos reddere.

Primo, ut videant eorum gloriam indeque animentur ad alacriter pugnandum pro cælesti corona. Quemadmodum enim cæteri milites, civitatem oppugnantes vehementer animantur, cum vident aliquos commilitones jam in muro urbis consistentes, vexillum diducentes et victoriam canentes, confidunt enim se quoque ascendere posse, qua illi ascenderunt: sic cum victorias sanctorum festive celebramus, inde nos anima-

mur, ut ad illos contendamus. Nam quodam modo vobis ipsis dicimus: *Ibi tot pueri et puellæ ibi juvenus multa et omnis ætas, etc. Tu non poteris, quod isti et istæ, etc.* Et si ad illum apicem pertingere non possumus, ad quem pertigerunt ipsi, saltem ad medietatem aspiremus, sicut mercatores iniquum petunt, ut justum ferant.

Secundo, ut videamus eorum virtutes et vivendi normam, ac sciamus nobis similiter pugnandum esse, si similiter triumphare velimus: *Solemnitates enim martyrum exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat quod celebrare delectat*, ait S. Augustinus, serm. XLVII. de sanctis. Cum igitur maximos virtutum progressus in sanctis viris cernimus, et cum tarditate nostra comparamus, inde partim confundimur, partim excitamur ad progrediendum alacrius et spiritum resumimus, dicentibus quasi ad nos sanctis illis: *Surge, grandis enim tibi restat via*. Et ita per hoc quodammodo apud nos (inquit Sanctus Bernardus, in præfatione vitæ Malachiæ) etiam post mortem vivunt multosque ex iis, qui viventes mortui sunt, ad veram provocant et revocant vitam.

Denique, ut saltem pie erubescamus, videndo vitam illorum nostræ tam dissimilem, juxta id Job, c. XXXIII. *Respiciet homines et dicit: Peccavi. In quem locum Sanct. Gregor. lib. IV. moral. cap. IX. ait: «Quemadmodum pauperes nunquam melius evidentiusque cognoscunt paupertatem suam, quam introspeciendo thesauros potentum ac divitum: ita fidelis anima nunquam magis se humiliat, suamque luculentius deprehendit inopiam, quam cum illustrium heroum sanctorumque virorum res gestas sibi ante oculos constituit.»* S. Anton. cum quadam vice invisisset S. Paulum eremitam ejusque admirandam sanctitatem contemplatus esset, rediens ad monasterium dicebat fratribus suis: *Væ mihi peccatori, qui falsi monachi nomen fero! Vidi Eliam, vidi Joannem in deserto, et vere vidi Paulum in paradiso*, Hieron. in vita S. Pauli eremitæ. Similiter S. Macarius cum aliquando quosdam miræ sanctitatis monachos vidisset, domum reversus dicebat: *Vidi monachos, sed ego non sum monachus*. Quod si præstantes viri ex humilitate de se dixerunt, verissime nos nobis possumus pronuntiare, si contemplerur viros sanctos Martinum, Nicolaum, Laurentium, Catharinam, etc. non esse videlicet nos veros Christi cultores qui ab illis tantum absumus. Hoc igitur ut effectu consequamur, ideo sancta mater Ecclesia ponit sanctos saltem præcipuos super candelabrum, cum eorum dies festivos esse jubet, quibus eorum vita domi legi et considerari, in templo vero explicari queat, ut sic luceant corem omnibus, et

qui in Ecclesia sunt, lumen illorum videant. Quod si non faceret, certe sub modio et lecto absconderet, imo sepeliret sanctorum lucem. Uti patet in locis hæreticorum, ubi nihil de vita sanctorum scitur, legitur vel auditur, ideo nec curatur. Debent ergo illis diebus inhiberi nobis negotia sæcularia et labores, ut spiritualia subinde vel fallendi temporis gratia legamus, audiamus vel meditetur. Nisi Sanct. Ignatius Loiola in crure læsus fuisset et lecto decubisset, nunquam forte pium librum arripuisset de sanctorum vita, ex quo conversionis suæ initium hausit. Sic nisi nobis festi dies præciperentur, quibus alii labores inhibentur, multi nihil unquam de sanctorum vita legerent vel audirent. Sane philosoph. lib. de quærenda cognit. erud. asserit animum festum agere, quando æmulando res optimas capessit laborem, quo ad perfectionem contendat.

V. Ut hoc pacto sanctos admoneamus, ut sint nostri memores quemadmodum et nos eorum memoriam nunquam deponimus, sed quotannis celebramus. In his enim festivitibus quodammodo admonemus sanctos, quomodo Josue Rubenitas et Gaditas, Jos. I. dicens: *Dominus Deus vester dedit vobis requiem et omnem terram, etc. Vos autem transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu et pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus vestris, sicut et vobis dedit, et possideant ipsi quoque terram, quam Dominus Deus vester daturus est eis*. Atque hoc fecisse sanctos, pugnasse videlicet pro suis civibus ex multis historiis. Sic S. Felix Nolæ civitati, cujus erat patronus, a barbaris oppugnata visibiliter opem tulit, ut nihil prorsus mali passa sit, ut refert Sanct. Augustin. lib. de cura pro mort. cap. II. sic Sanct. Ambrosius Mediolano ab hostibus obsessus, cujus olim episcopus erat, flagello hostes insecutus est, ut Fulgosius scribit: Sergiopolim a chosroe obsessam defendit S. Sergius apparentibus miraculo armatis magno numero super muros, qui nulli erant, chosroe ad ostentum obstupescente, Baron. anno 544. Hujusmodi igitur et similis auxilii nobis ferendi ut admoneamus sanctos, et ut occasionem implorandi eos habeamus, festa patronorum et præcipuorum sanctorum peragamus. Instar enim catellorum hic sumus, qui sub mensa dominorum, id est, sanctorum in cælo cum Christo epulantium intentis expectamus oculos, eosque commonefacimus, quibuscumque possumus modis, ut nostri etiam meminerint, et vel micæ de cælo nobis dejiciant. Nec est quod metuamus eos memoriam nostri deposituros, si non deposuerimus illorum. Nonne cum turba plurima sequeretur Christum per triduum ad desertum, relictis domi laboribus et

negotiis domesticis, Dominus de iis sollicitus fuit? Marci VIII. et VI. quemadmodum et apostoli, cum Dominum monuerunt ut dimitteret turbam in proxima castella et vicos, ut panem sibi compararent; siquidem eorum multi de longe venerant, et deficere poterant in via? Hoc ipsum igitur sancti facient, et curam nostri agent, cum sepositis operibus servilibus et curis sæcularibus eorum festa peragimus, et templa diligenter visitamus.

CONCIO VI.

QUALIS LUCERNA S. MARTINI; QUALIS ITEM MARTINUS LUTHERUS.

I. S. Martini fides catholica. — II. S. Martini sanctitas, virtutes et miracula. — III. S. Martini prophetia. — IV. S. Martini visiones. — V. Obitus S. Martini. — VI. S. Martini fauus.

THEMA.

Ille erat lucerna lucens et ardens. Joan. V.

Non frustra Dominus ait: *Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint*. Ut enim non omne quod splendet est aurum; ita neque lumen. Videmus de nocte splendere noctilucas et ligna putrida, quæ tamen nihil veræ lucis habent. Jam vero nemo inficians ibit, S. Martin. episcopum Turonensem, cujus hodie diem agimus, lucernam esse Ecclesiæ catholicæ veram et genuinam. Sic enim meritissimo vocatur a S. Bernard. in serm. et de hoc festo, *lucerna ardens et lucens*. Inde super ipsius celebrantis caput globus igneus adeoque quasi lucerna ardens visa est: propterea a Deo assumptus e monasterio, super candelabrum sedis episcopalis positus est. Propterea denique ab Ecclesia super candelabrum quasi collocatus num festa ei dies constituta est, quæ sancta et fulgidissima hæc lucerna toti mundo innotesceret viamque vitæ ostenderet, ut omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam, lumen hoc aspiciant. Sed obtrudunt etiam hæretici suam nobis lucernam, itidemque Martinum scilicet Lutherum, qui brevi tempore, evangelii sui fulgore totum illustravit septentrionem. Et hic quidem semetipsum jactitasse, se demum Germaniæ ipsissimam lucem intulisse, qua illa tot sæculis caruisset, ut scribit in commen. rerum gest. Surius: eundemque nuper Norimbergenses, anno suo jubileo fictitio, in nummis excudere modium de lucerna evangelii diu occulta tollentem. Sed quidquid illi dicant, ego illis repeto, quod Dominus hodie dixit: *Videte, o Lutherani, ne lumen quod in vobis est* (id est

esse vobis videtur) *tenebræ sint*. Certe tenebras esse, et filium tenebrarum et vermiculum noctilucam, lignumque putridam, non lumen, aut lucernam, Martinum Lutherum, non difficulter ostendam.

I. Sanctus Martinus luxit fide catholica. Nam imprimis Sancti Hilarii Pictavorum episcopi discipulus et ab eodem ordinatus fuit, idemque acerrimus hæreticorum (Arianorum, qui tunc maxime vigeant) insectator. Dein de professione monachus et tandem invitatus et pia fraude e monasterio evocatus in episcopum Turonensium omnium consensu et divino oraculo electus est. Ubi nequaquam vitæ monasticæ valedixit, sed initio juxta ecclesiam suam, cellam sibi ligneam ædificavit. postea populi frequentiam vitaturus, ad duo miliaria ab urbe monasterium sibi et octoginta discipulis suis extruxit, in quo cum illis austeram duxit vitam, priorem suum habitum, regulam, vivendi modum semper retinens, in jejuniis, oratione, vigiliis perseverans. Omnia illis communia, victus, vestitus, clausura, oratio: vinum nemo noverat nisi æger: vestitus de pilis camelorum, etc. ac denique inter discipulorum manus obiit, Sev. Sulpit. in ejus vita.

Deinde, S. Martinus in omnibus suis actionibus cum fide nostra catholica concordat; siquidem a S. Hilario ordinatus est, missas celebravit: unde globus igneus super caput celebrantis visus et alio tempore, brachia ejusdem eucharistiam in altari elevantis cœlesti splendore induta apparere: ecclesias et monasteria passim extruxit: oleum benedixit et infirmis distribuit multosque eodem sanavit: signum s. crucis frequentissime efformavit et mira per eam plurima patravit: præterea, in operibus pietatis et austeritatis, vigiliis, jejuniis, ciliciis, humicubatione, et oratione, perpetuo se exercebat, pro ejus mortui corpore certabant Pictavienses et Turonenses; siquidem dicebant isti suum fuisse episcopum et præterea apud Pictavienses existentem Martinum duos suscitasse mortuos, apud se tantum unum, debere proinde hoc resarciri a Martino mortuo; ecce cultus reliquiarum.

Denique, Fortunatus quidam extinctum fere oculorum lumen recepit beneficio olei desumpti ex lampade, quæ ante imaginem Sancti Martini ardebat: qui etiam in gratiarum actionem miracula Sancti Martini carmine scripsit; ecce usum lampadum coram defunctis et imaginum, Baron. anno Dom. 402. Quæ omnia expressa habentur in ejus vita, in qua auctor discipulus Martini fatetur se minimam partem scripsisse: nec ipsum quidem Homerum sufficientem futurum, ad opera Martini describenda.

Videamus jam lucernam alteram, Lutherum. Quis eum ordini eremitarum Sancti Augustini voto adstrictum fuisse, et vero in eo aliquamdiu militasse nescit? Imo tunc in Ecclesia catholica sacerdotem, doctorem, monachum et Romani pontificis filium obedientem se profitebatur. Postea fidei Deo et Ecclesiæ, necnon ordini suo datæ turpiter oblitus, habitum abiecit et fidem ac sacerdotii sui dignitatem, moxque novam eudens sectam antea inauditam, monialem simili sacrilegio monasterio abstractam sibi copulavit non scelesto solum et eousque inaudito, sed turpi etiam et probroso (quia sexdecim diebus antequam rite in facie Ecclesiæ contraheret) connubio, cujusmodi exemplum orbis antea non viderat. Qui habet quæso hæc lucerna commune cum illa? Quid hic Martinus cum illo? Ille primum gentilis utpote gentilibus ortus parentibus ad baptismum ultro festinavit; iste catholice natus et educatus; fidem turpiter abjuravit: ille de milite monachus, hic de monacho apostata factus: ille invitatus ad episcopatum extractus, vitam tamen monasticam semper retinuit; hic monasterii septa perumpens, abjecta religione turpissimam elegit vitam, et tenuit usque ad mortem. Proh quam diversæ sunt hæc lucernæ! Quam diversi Martini! Quæ comparatio lucis ad tenebras! Luciferi ad Michaelem.

Sed inspiciamus etiam dogmata Lutheri. Nonne is missam non modo exturbavit, sed insuper etiam abominationem vocare ausus est, in libello de abomin. can. mis. Nonne dixit: *Super omnes abominationes teneo ego missam?* Nonne ordinationem clericorum sustulit? Nonne ecclesias et monasteria omnia aperuit et exterminavit? Nonne monachos damnat omnes et porcos saginatos appellat? tom. 1. Witteberg. Nonne benedictiones omnes, uti et sacra olea damnat? Nonne vocat ea rancidum chrisma? Nonne sanctæ crucis juratus hostis fuit? In conc. sua de inventione crucis, Nonne dixit, si qua crucis particula in sua potestate fuisset, eo se illam projecturum esse, quo sol radiis suis nunquam accedere posset? Item ibid. *Ad diabolum cum hujusmodi imaginibus, nullius enim boni causa sunt, etc.* Nonne bona opera præsertim pœnitentiis, vigiliis, jejuniis, etc. reprehendit et generatim omnia bona opera, peccata esse asserit? Nonne denique reliquiarum cultum et cereorum usum proscripsit? Non tenuit igitur Lutherus fidem et dogmata S. Martini qui tamen ante annum ferme millesimum trigesimum vixit, quo tempore fidem catholicam adhuc inviolatam extitisse fatentur hæretici, videlicet usque ad annum Domini sexcentum seu usque ad tempora Gregorii M. Tenuit autem dogmata,

quæ nos catholici etiamnum tenemus. Videte ergo, o Lutherani, ne lumen quod in vobis est, id est, Lutherus doctor et oculus vester tenebræ sint. Si enim lumen esset, veræ illi lucernæ Martino non contraret.

II. S. Martinus luxit vitæ sanctitate et virtutibus. Atque ut alias taceam plurimas, pauculas enumerabo. In primis humilitate dum servo suo adhuc miles vicissim inserviebat, calceos e pedibus detrahebat et purgabat, ut in ejus vita, lib. I. cap. 1. dum a S. Hilario episcopo ordinandus in diaconum, constanter reluctatus est, indignum se eo gradu reputans, et potius exorcistæ officium, etsi vile et humillimum, acceptabat, ibid. cap. IV. dum leprosum Parisiis osculo excepit et sanavit, ibid. cap. XIX. dum episcopatum recusavit. Et quid Lutherus nominat se os Christi et tertium Heliam, prophetam, ait etiam totum mundum non esse dignum, qui solvat ei corrigias et calceamentorum (tom. VI. Wittemberg. fol. CDXLIX.) et alibi asserit beatum ventrem, qui eum portavit, ibid. idem nihil se curare ait, si mille Augustini, mille Cypriani, mille Ecclesiæ contra eum starent: item doctrinam suam se nolle a quoquam judicari, nec ab angelis: item intra mille annos nulli episcoporum tantam a Deo gratiam esse datam, atque ipsi: denique, quod ei munus publicandi et prædicandi indulgentias demandatum non esset, ambitione tumidus contra indulgentias mirum in modum debacchatus est.

Secundo, castitate; eam siquidem servavit adeoque virginitatem semper, ut nullam tetigerit mulierem, nec prope eas nunquam steterit. Et cum imperatrix Maximi imperatoris uxor multis et diuturnis precibus eum fatigasset, pateretur sibi ab illa prandium aliquando parari et ad mensam ministrari, vix tandem acquievit, licet imperatore præsentem et volente id fieri sciret, ut lib. II. cap. VII.

Longe aliter Lutherus qui de seipso scripsit tom. I. Latino Ihenensi, anno 1579. epist. ad Philipp. fol. CCCXXXIV. *Qui fervere spiritu debeo, ferveo carne, libidine, pigritia, otio, somnolenti, etc.* et consequenter vitam suam in sacrilego incestu traduxit: item licere simul plures habere uxores, ut docet in explicat. Gen. ad cap. XVI. anno 1525. item, in cap. XXIV. Gen. docet ita orandum esse: *Domine Deus da uxorem et panem quotidianum*; quasi Christus imperfectam nobis tradiderit orationem et hanc petitionem perperam omiserit.

Tertio, temperantia, qui partim in insula Gallinaria eremitam agens herbis victitabat, partim in monasteriis parcissime vivebat et crebris abstinentiis, quandoque septem dierum se macera-

bat; ubi ut suprad. nemo nisi infirmus de vine poterat loqui, ut in vita, lib. I. cap. IV. et VII. lib. III. cap. XVII.

Sed quid de Lutheri temperantia dicemus? Habebant in abaco suo inter alia capacissimum vitrum, quod vocabat *catechismum suum*, pietatis ergo: id habebat quatuor circulos, quorum primo inscriptio erat decem præceptorum, alteri symboli apostolici, tertio orationis Dominicæ, quarto catechismus totus exhaustus. Cumque hunc catechismum suum aliquando convivis suis propinasset, et unico haustu ebibisset, iterato eum impleri jussit, et iterum exhausti cui tamen Islebicus nec ad primum quidem circulum respondere poterat. Vide colloquia ejus mensalia, folio CLXVI. Idem et cum vesperi dormire non poterat, haustum soporiferum facere solebat, se ob id excusans; ita scribit de ipso fidelis ejus discipulus et assecla Mathesius, in conc. XII. de vita et moribus Lutheri. Sed non caruit ob intemperantiam suam remorsu conscientiæ. Auditus enim est aliquando, de convivio quodam paulisper ascendens, sic seipsum alloqui, ventrem manu pulsans: *Martine, Martine, hic quidem sat bene sic agitur, sed quid post hæc futurum est?* refert Joan. David. in verid. christiano, cap. C.

Modestia etiam singulari: nunquam visus iratus, tetricus aut ridens; nihil in ejus ore erat nisi Christus, etc. ut in ejus vita, lib. I. cap. ult.

Sed quam modestus fuerit Lutherus, ex colloquiis ejus mensalibus satis superque patet: nihil fere in eo libro, nihil in ore Lutheri nisi diabolus, nisi turpitudines et scurrilitates, ut etiam ipsosmet Lutheranos ejus libri pudeat: quem tamen Joannes aurifaber et ipse Lutheranus edere et civitatibus imperialibus dedicare non erubuit, et quidem quasi juxta præceptum Christi de colligendis fragmentis, ne perirent, id faciendum fuerit, ut initio ejus libri indicat: quasi vero Christus ipse præceperit crassissimos Lutheri jocos et turpes scurrilitates, quasi ob mensam evomit plenis buccinis, non negligere, sed diligenter colligere et in vulgus spargere.

Magnum scilicet detrimentum reip. fuisset, si tantæ fœditates sub terra latuissent, quas nunc Lutherani prudentiores optarent profundissime sepultas. Præterea in Lutheri libris vix reperitur integra sententia, quæ maledictis aut conviciis careat. Lutherus loqui non poterat, nisi tertio quoque verbo, porcos, asinos, diabolos, stercora, merdas, crepitus nominaret, ita ut aliud non videretur fuisse ejus pectus, nisi sentina talium flosculorum. Unde merito stercoreus et porcineus propheta vocatur a quam plurimis; inde ipsemet tom. VI. Ihen. fol. CCCXVIII. ait: Quis unquam

sanctorum talem loquendi morem habuit? Aliter S. Paulus qui suis epistolis, Jesum semper iterat, aliter S. Martinus, aliter ss. patres, quibus semper in ore Christus; quia nimirum ex abundantia cordis os loquitur.

Et vero etiam saeculares principes ingentibus conviciis laecerat Lutherus, in libello de saeculari potestate, anno 1523. scripto, vocat eos praecipuos moriones, deterrimos nebulones: et in alio libello, contra duo Caesaris mandata, stolidos, factuos, insanos moriones, eisque Turcam decies meliorem, etc.

Denique, S. Martinus claruit miraculis quam plurimis, quorum ea tantum recensebimus; in quibus Lutherus eum aemulatus videtur. Suscitavit imprimis tres mortuos duos adhuc monachus, tertium episcopus, lib. I. vitae, cap. V. VI. et lib. II. c. V. Sed nonne etiam Lutherus mortuum suscitavit? Tentavit in quidem temerarius homo cum Wilhelmo quodam Neseno in Albo submerso atque a piscatoribus extracto, ut se magnum Domini prophetam esse palam ostenderet, immurmurando nescio quid de evangelio suo in aures defuncti. Sed qui aquis praefocatus erat, mortuus mansit, Lutherum non audivit, non revixit, ut scribit Surius, in comment. rerum gest. praeteriti saeculi; Lind. dial. III. Dubitantii, cap. I. Tilm. Bredenb. lib. VII. nimirum cum Baali illius sacerdotibus, III. Reg. XVIII. clamare altius debuisset, ut audiretur a defuncto qui nimis profunde dormiebat.

Secundo, S. Martinus daemones innumeros eiecit e corporibus eosque sibi quasi catellos subiecit: digitos suos in os obsessi ingerebat, ut si posset, morderet; sed ille quasi a ferro candenti os retraxit: expellebat vero nullo prorsus negotio, sola oratione, sola jussione, sola manus impositione: imo stramen de ejus lecto sumptum et obsesso appensum daemone pellebat, libro II. c. VIII. et alibi. Audiamus quid in hoc potuerit Lutherus. Adducta illi de Misnia daemoniaca puella Wittembergam fuit: de qua ipse in parochialis Ecclesiae sacrario daemone exorcismis profligare conabatur multis inspectantibus. Sed o miraculum! « Non solum daemon (ut or verbis Friderici Staphyli, testis oculati et tunc Lutheri discipuli) ejus conjurationes non curavit, verum etiam Lutheri caligas in eas angustias redegit, ut is quam primum se e sacrario proripere vellet; at quid accidit? Malignus ille daemon usque adeo fores sacrarii obstruxerat, ut neque forinsecus neque extrinsecus aperiri possent, quae res majori Lutherum anxietate perculit. Properat igitur ad fenestras, sed ex clathris ferreis obseptae erat. » Et haec Staphylus. « Quid deinceps? Oblata igitur

securi per cancellos ferreos Staphylus ipse januam dissecuit, et Luthero egrediendi copiam fecit, qui hisce verbis historiam concludit: interea vero visu admirandum erat, ut Lutherus angoribus correptus sursum deorsumque cursitaret, atque instar ovis parturientis huc illucque se invertiret. » Haec Staphylus testis oculatus in absoluta resp. contra Schmidel, qui etiam occasione ejus miraculi Lutherum ejuravit, et ad nostras partes transiit. Refertur id a Wilhelmo Lindano, dial. III. Dubitantii et Surio in comment.

III. S. Martinus prophetiae spiritum habuit. Obitum suum pridem suis praedixit discipulis, ut Sulpitius, in epist. ad Bassulum. Idem Maximo imperatori primo victoriam, postea caedem, lib. I. cap. XXIII. Brictio etiam discipulo suo, successionem in episcopatu et futuras ejus calamitates, ut in histor. Franc. libro II. cap. I. scribit Sanct. Gregorius Turon.

Audiamus hac in re etiam Martinum alterum: praedixit etiam ille vel praesagii potius sibi, quod plus est, mortis genus, tom. VII. Wittemberg. folio CDLXXIX. inquit verissimum praesagium. Ipse enim mane in lecto demum mortuus, ore contorto, facie carbone atriore apparente fuit inventus; quis ambigat eum a daemone suffocatum et enectum? Praeterea in libro contra Thom. Muncerum praedixit papatum seu Ecclesiam Romanorum post biennium a vaticinio suo ita funditus ruituram, ut neque pontifices, neque cardinales, neque episcopi, neque presbyter, neque monachi, neque moniales, neque templa, neque turres, neque campanae, usquam amplius reperiantur.

Item in admonitione, pro seditione et rebellionem cavenda, praedicit se, si biennium vivat, curaturum ne sit campana, turris, missa, vigilia, cappa, cuculla, rasura, regula, statula: et ibid. asserit papismum jamjam clamare *Eli, Eli*: paulo post audiendum: Expiravit, q. d. Judaeos crucifixisse Christum et se crucifixurum Ecclesiam.

Et in respons. contra regem Angliae Henricum ait: *Dogmata mea stabunt et papa cadet: unitis omnibus portis inferni et potestatibus aeri, terrae et maris.*

Item papam Clementem VII. fore ultimum, aurifaber in *Tischreden*. Praeterea diem extremum praedixit futurum intra quindecim annos, ut testatur Joannes Lapp. Praedicans, in libro de prophetiis Lutheri; item, Cant. I. de legend. evangelicor. praedicant. se victurum usque ad diem extremum, vel saltem puerum, quem ante se aspiciebat.

Denique, Brictium suum Melancthonem per-

severaturum semper in Lutherana secta. Ecce prophetias. Sed quid eventus? Ecclesia Romana adhuc stat, omnia ejus sacra, sarta tecta: et jam anni plusquam centum elapsi sunt a Lutheri prophetia; siquidem ejus admonitio pro seditione, anno 1522. scripta est. Nullus similiter adhuc stat; Lutherus et puer ille dudum periire. A papa Clemente regnaverunt viginti duo pontifices, Paulus III. Julius III. Marcellus II. Paulus IV. Pius IV. Pius V. Gregorius XIII. Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens VIII. Leo XI. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. Innocent. X. Alexander VII. Clemens IX. et X. Innoc. XI. Alexander VIII. Innoc. XII. et modo Clemens XI. Denique, Melancthon ad Calvinismum defecit. O os mendacissimum! Sic Diocletianus gloriabatur se extinxisse Christianos.

IV. Sanctus Martinus sanctorum visiones et visitationes non paucas habuit. Christus imprimis ei adhuc cathecumeno apparuit in veste quam ille pauperi dederat, lib. I. cap. II. sancti angeli saepius, qui eum in multis instruxere, lib. I. cap. VI. lib. III. cap. XV. visitatur ab Agnete, Thecla et Maria, lib. II. cap. XIV. similiter a Petro et Paulo, ib. Sed quantam habuit sanctus hic sanctorum, tantam imo forte majorem habuit Lutherus daemorum familiaritatem, siquidem in lib. de missa angulari scripsit, diabolum et inter sese mutuam familiariter nosse, et plus uno salis modio simul comedisse, se a daemone stimulatam ut contra missam scriberet, et ad eam rem argumentum sibi suppeditata. Denique, Maximilianus I. imp. referente Tilman. Bredenbachio, lib. I. collat. sac. c. XLII. cum Augustae in comitiis, an. 1519. pranderet Luthero et aliis spectante, asseruit baroni de Erpachse in humeris Lutheri vidisse cadodaemone forma corporea incubantem; et paulo post monachum illum turbas, calamitates et miserias terribiles in imp. concitaturum. Habemus igitur et visiones. Quid adhuc egemus testibus? Quod si quis objiciat vidisse etiam S. Martinum saepenumero diabolos. Respondeo id verissimum esse, sed is nihil familiaritatis cum iis habuit, nil salis comedit, nihil doctrinae ab eis accepit cum illis non dormivit: eos tergo suo insidentes non habuit, quomodo Lutherus haec omnia: sed potius eos ligavit, cruciavit, fugavit, expulit; sed inquiet aliquis, etiam Lutherus daemone fugavit, quando ei ut ipsi Sancto Martino, in specie Christi gloriosus apparuit cum quinque vulneribus, ut de seipso testatus est, et refertur in sermonibus sympos. tit. de Christo. At videtur eam relationem plane conflixisse Lutherus, quo Sancti Martini gloriam aseptaret. Sed quis scivit eum esse diabolum, non

Christum? Sane Sanctus Martinus desideravit in ostensa sibi imagine quinque vulnera: at ea hic fuere. Futilis igitur est haec narratio.

V. Sed quia finis coronat opus: audiamus utriusque Martini periodum. Sanct. Martinus obitum suum instare praesentiens et discipulis suis significans eis plorantibus et lamentantibus dixit: *Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem*: postmodum, invalescente per aliquot dies febre, de pristino fervore nihil remittens orabat et vigilabat totas noctes: super lectum suum, non in mollibus plumis, sed in cinere et cilicio jacuit, nec stramen quidem prostrato sibi supponi passus est; non decere asserens, Christianum nisi in cinere mori, et se peccaturum, si aliud eis exemplum relinqueret.

Oculis etiam ac manibus in caelum semper intentus invictum ab oratione spiritum non relaxabat, ut ita caelum contempleretur et spiritum suum eo dirigeret: diabolum adstantem forti animo facessere jussit; siquidem in se nihil haberet: Abraham sinu se excipiendum esse: quibus verbis spiritum reddidit, et qui tunc aderant, dicebant se vidisse ejus corpus quasi jam glorificatum, nitidissimum; faciem ejus fulgentem sicut diem, etc. ut in epist. Sulp. ad Bassulum.

Sed alia longe fuit preparatio Lutheri ad mortem. Cum enim in patriam suam Islebiam venisset, et vesperi ibidem eum bene curasset ac solitis suis facetiis convivas omnes recreasset, meroque largius indulisisset, sanus ac vegetus cubitum ivit, non prius aegrotans nisi per paucas horas, mane in lecto ore contorto, veluti strangulatus (haud dubie a cacodaemone) latere uno vultuque denigrato, mortuus est repertus. Hic igitur Lutheri finis. Et quis unquam sanctorum ita mortuus est?

VI. Sed audiamus et funus. Ad funus S. Martini aderat in spiritu S. Ambrosius archiepiscopus Mediolanensis. tunc enim in ecclesia, quasi de diuturno somno evigilans dixit se funeri fratris sui Martini interfuisse.

Similiter S. Severinus archiepiscopus Colonien-sis vidit animam Martini ab angelis cantantibus ad caelos evehi. De corpore illius certabant inter se Pictavienses et Turonenses: illi quod apud eos monachus et abbas fuisset; hi quod eorum episcopus.

Adfuerunt etiam Lutheri funeri longinqui et peregrini hospites, ingens turba cacodaemonum, qui tunc obsessos omnes qui apud Gheelam Brabantiae ad sepulcrum Sanct. Dymnae liberationem expectabant, tantisper reliquerunt et postliminio reversi dicebant, conjurati se ex mandato princi-